Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2783
Quelle:
Copyright:

latorum presentem hunc cetum &c. Item Oratorem pro alio dixisse, sequentia: *sermonem promere iussus sum a percelebri et doctissimo domino, qui in hac celeberrima solempnitate predicaturus erat, sed pro tocius ecclesie necessitatibus agens in remotis non valuit nunc adesse* &c. Cum porro in refellendis *Graecorum* erroribus versetur Oratio, Concilio *Basileensi* aut *Florentino* adsignandam arbitror, quanquam in editis utriusque *Actis* nihil ejusmodi deprehendam. Ultima sunt: *Heu quam precipitem passa ruinam. Explicit.*

XII. *fol.* 25. p. 2. Recensus XXXVI. *Errorum Graecorum* hoc initio: *Nouerunt cuncti christiani et presertim sedis apostolice domini nostri pape Eugenii quarti beatissimi cortesani, quod infra scripti scilicet errores grecorum heretici falsi et iniqui* &c. Ad calcem: *Hec sunt errores grecorum heretici per me sacre theologie magistrum Andream Hispanum Megaren. pauperem episcopum abbreuiati recollecti et plures alii ad exaltationem nostre fidei.* Meminit *Nic. Antonius Bibl. Hisp. Vet.* L. X. c. 4. *Tractatus copiosi contra quinquaginta Græcorum errores*, ad cujus calcem Noster itidem audit *pauper episcopus Megarensis O. S. B. Andreas Hispanus de Scobar*; unde *Recensum* praesentem ejus velut ἐπιτομὴν habeo. Scriptus dicitur ille *Bononiae* 1437. *Andreae Gubernaculum Conciliorum* indicatum est *Cod.* CCCLXVII.

XIII. *fol.* 26. p. 2. Dissertatio prolixa contra *Graecorum* Sententiam *de Processione Spiritus S.* cujus initium: *Recusant Greci confiteri cum latinorum ecclesia quod spiritus sanctus procedit a filio* &c. et finis: *Solliciti servare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Quod eis et nobis prestare dignetur ipse deus trinus et vnus.* Videtur et haec Dissertatio ad *Acta* Concilii *Ferrariae* et *Florentiae* celebrati pertinere, quanquam nec in *Edit. Concc.* nec in *Mansii Supplementis* reperiatur.

XIV. *fol.* 32. Sermones VIII. habiti: *Dom. II. Adventus. IV. Adventus. IV. Quadragesimae. De B. V. Maria. De aeterna Verbi diuini Generatione. Feria quarta in capite Ieiunii. De beato Stephano. De Corpore Domini.* Non fallar, si hos quoque Sermones ad Patres *Florentiae* congregatos habitos fuisse adseruero; statim enim in *primo* sic loquitur Orator: *Auditum tribuere beniuolum si dignabitur S. V. eximie Presul mundique stupor Papa* (Eugeni) *beatissime cum Reuerendissimorum patrum et dominorum aliorumque venerabilium virorum presenti celeberrimo conuentu* &c. et deinceps per omnes *Papam* adpellat additis in *quinto* etiam *gloriosis mundi principibus.* Familiae illum *Carmelitanae* fuisse locus ille *Serm.* IV. prodit: *Tales floruerunt nostri Ordinis fundatores pudicus helias castissimus helizeus, nonnulli eorum etiam successores* &c. Ita enim boni illi Viri ante *Papebrochium* tuto jactabant.

XV. *fol.* 48. p. 2. *Johannis Joffridi de luxouio Decretorum doctoris*